~~103~~ 154

D. Ioachimo Vadiano praeceptori suo Colen:
dissimo Valentinus Studus Glareanus
S. D.

Scripserã ad te Autumno praeterito. Vadiane doctissime. Vt, quoniam tã diuturno nostro silentio forte tibi exciderã, tandem rursus agnosceres discipulũ, q ut tui studiosissimus semper fuit, Ita nunquam sua barbarie tuis obstrepere auribus ausus erat. at ignoro si literas has tuus viennã reditus praeuenerit. quod uel ob hoc mihi molestius fuerit, quod iisdem, amicũ summo praeceptore demererj nõ licuerit. Accessit & aliud hoc etiã magis molestũ. Nã nuper In patria tũ essem (Donauerant n. me Glareani nostri, idq Zinglii ductu, q in omnibus fidissime semper mihi patronus astitit, beneficio (ut uerũ) quod hic prius obtinuit) eius rei causa a parrhisiis reuocatus eram) Ad Diui Galli oppidũ matris visende gratia, hac vnica fiducia q te illic a me conueniri posse sperabã, diuerterã: sed spe falsũ ac ob id dolentem discedere oportuit. quapropter ea sublata occasione, muneri literis tecũ agendi denuo me, accingo. quod si has hilari vultu susceperis, grati erga praeceptorem discipuli officio strenue perfungar. quae vero in his barbara et illeuigata subsultabunt, obuenient aut crebra. obturatis rogo legas auribus ne inde offendantur, ac pro tua humanitate ad ea conniueas. Caeterum nil est quod aeque exoptem, quam ut ego q ferme ẽ sinu obliteratus eram, in discipulorum tuorum reponar albo. id meae erit partiũ ne semel receptus, rursus repudiar. Vale Musarum decus

Ex Parrhisiorum Lutetia Decimo Calendas Iulias MDXIX

Ioachimo Vadiano
Poe: Lau: medico
famatissimo pre-
ptori bn[e]me-
renti.

An herr Doctor Jo-
achim von
Watt